

Rutae murariae mihi videtur varietas, quam in literis misisti.

(Epistola sine die, adscriptum manu Jacquinii: Respondi 5. Januarii 1763.)

23.

Viro Amplissimo DD. Nic. Jacquin, Inventori summo
s. pl. d. Car. v. Linnè Eques.

Laetor ex toto corde quod jam absolutum sit opus Tuum, uti vidi ex ultima impressa tabula et pagina; spero quod pro Tua amicitia in me summa cures, ut hoc brevi habeam, quod queam in appendice specierum adjicere mihi ignota. Prodibit ultimus s. posterior specierum tomus in tempus paschatis. Nondum habui occasionem mittendi priorem tomum Hafniam, sed mittam prima data opportunitate.

Laetor quod vocasti plantam Gouaniam.

Meam sententiam de speciebus novis non intellexisti, experimenta habeo jam plura, sed sit ut ut velit, parum interest. Tua Androsace videtur tamen hoc confirmare.

Stupefactus legi, quae narras de antiquissimo auctore Botanico cum figuris, adjectis nominibus graecis. Non capio quomodo mei oculi in hac mortalitate hunc aureum viderent librum.

Doleo quod temerarius Te exponas alpibus, ubi facile periculum incurras, cum nimio damno Botanices.

Othonna Tua integrifolia erat etiam mea.

Anthericum pseudoasphodelus est mera varietas nostratis in Alpibus lapponicis, et calyx in Tuo specimine evidentissimus est.

Dodecathei semina, uti pleraque Virginianensium plantarum semina apud nos non perficiuntur, et si perficiantur heic raro germinant.